B. N. C.
FIRENZE
1146
34

6.34

Digitized by Google

1146
34

A I

ORATIO

ANGELI CHELVTII COLLENSIS AD VIDVM SERVIDIVM EPISCOPVM VOLATERRANVM.



FLORENTIÆ,
Apud Bartholomæum Sermartellium. 1576.

1146.34

ANGELVS CHELVTIVS ANTONIO SERVIDIO DIVI STEPHANI EQVITI S. D.

QVAMDIV in hac Vrbe manſi, (manſi autem iam quinquennium) magnopere elaboraui, vt non tam ſtudiosè docendis his adoleſcentulis, quàm Epiſtolis, carminibus, atque orationibus conſcribendis, aliquis meæ induſtriæ fructus extaret. quorum alterum potuiſti non ſolum audire, verum etiam videre ex tot ſupplicibus eorum libellis, qui, vt victus in Piſana Sibi Academia præberetur, petebant: alterum mea ſcripta teſtificari poſſunt, multorum etiam tibi ſermones confirmare. cumq; antea ſemper, tum maximè me præbui non indignum meo ſtudio, atq; hac ciuitate in tui fratris honorifico in hanc Vrbem aduentu, qui mihi multas ob cauſſas cum eſſet viſus ſcriptione maximè dignus; nolui tantam, tamq; præclaram amittere occaſionem; quæ non magis vos, veſtramq; familiam,

quàm totam hanc ciuitatem laude gloriaq; afficeret. atque iccirco non more, non alicuius precibus, ſed mea ſponte, meaq; animi inductione cum orationem in primis conſcripſiſſem, Diuiq; Sebaſtiani die habuiſſem; auditus fui tanta omnium benignitate, tamque animis attentis, quanta voluptate, ſi a te hæc oratio legetur, præclarè mecum agi meoſq; labores optime compenſari putabo. Nunc quoniam typis eam excudere eſt mihi in animo; cui potius, quàm tibi inſcribam? neque hoc facio, tibi vt ſim ſi minus amicus, at ſaltem notus, (tua enim humanitas, cum huc proximè veniſti, meum hoc conſilium præuenit) ſed quia, cui melius conueniat, reperire non poſſum. tu enim omnium libentiſsimè, ac ſtudioſiſsimè hanc orationem, credo, leges; non modo quòd de fratre, quem fraterne, ideſt vnicè, àmas, eſt ſcripta, ſed etiam, quòd orationis elegantia delectaris vehementer; ſicuti & ex tuo ſermone, & ex epiſtola, quam huic Reip. de fratris tui Epiſcopatu tibi gratulanti, reſcripſiſti, facile perſpicere potui. an maior & clarior mihi vir eſt quærendus, cuius patrocinio contra obtrectatores me defendam? tibi enim, que tua eſt prudentia, ac fidelitas, omnia conſilia Sereniſsimus Magnus Dux committit; &, cum maximæ res ſunt conficiendæ, te libenter, ac iure mittit; tantum confidit tuo in prouidendis rebus conſilio, tuæq; in illis agendis induſtriæ. Quare hanc orationem, à Pontifice Maximo modo reuerſus, ſume quæſo in manus, ſi ſumendi per negotia

erit

erit tibi otium; quæ ſi artis, ingeniiq; expers erit, plena tamen meæ erga Seruidios obſeruantiæ reperietur. eam igitur, vnaq; me ipſum in tuam fidem, & clientelam confero. Vale.

Volaterris, Pridie Kalen. Ian. CIↃ IↃ LXXVI.

*SVMMA, & incredibilis lætitia,
qua vniuerſam hanc ciuitatem ex
tuo, Reuerendiſsime Epiſcope, ad-
uentu affectam eſſe vidi, ac ma-
gnus, ſingulariſq; honos, quo fuiſti à
magna frequentia ciuium, & exte-
rorum decoratus, facit, vt ego quo-
què, habenda oratione, meam tibi
nunc declarem voluntatem; præſertim cum admirabili me
humanitate, quo primùm die ad manus tuas oſculandas ac-
ceſſerim, fueris complexus. Et quoniam publica fuit gratu-
latio; hoc die, qui publicè ab omnibus propter huius ciuitatis
patronum celebratur, publico in loco, ipſe, qui publicam gero,
ac ſuſtineo perſonam, meam erga te beneuolentiam, atque ob-
ſeruantiam ſignificandam mihi eſſe exiſtimaui: vt rei noui-
tas, non quòd illuſtri pompa ſis in vrbem ingreſſus, (mul-
ti enim ab hinc non multos annos idem, Alexandro Stroza,
optimo homine, & doctiſsimo huc adueniente viderunt) ſed
quòd ciuis Volaterranus, Volaterranus Epiſcopus fuerit fa-
ctus, (hoc, tantum abeſt, vt quiſquam viderit, vt ex homi-
num pænè memoria ſit euulſum) rei inquam hæc nouitas no-
uam etiam hanc introduxerit conſuetudinem, vt in hunc ho-
neſtiſsimum locum, maximeq; religioſum adſcenderem; vbi
ſi Volaterra, præſtantiſsimus ille orator, noſtra lingua de Sa-
raceno mortuo verba fecit, cur ego de te viuo ſilerem latina?
Quod nam mihi dicendi argumentum proponam? nempè il-
lud, quod temporis dare occaſio videtur, vt gratuler, liben-
terque gratuler, dicam ne tibi? an patriæ? an vtrique? vtri-
que certe; ſed magis patriæ, cum tibi honoris gradus tuis vir-*

tutibus

tutibus dignus, vel inferior potius ſit creditus, atque commiſſus; ipſa verò cum ſit nacta Epiſcopum, quem propter eius probitatem magis, & doctrinam expetere, quàm propter dignitatem longo interuallo amiſſam expectare poterat. Sed quia huius ciuitatis fortunæ gratulari verè non poſſum, niſi cauſſam, cur ciuitas lætari debeat, expoſuero; propterea de tua aliquid vita dicere aggrediar, ita tamen, vt non fortunæ bona, (quæ in bonis non eſſe habenda multi homines, ac doctiſſimi quidem, cenſuerunt) ſed quæ in te laude digna ſint, enarrare in animum inducam. quod dum facio, peto a te etiam atque etiam, vt de te coràm te ipſo dici patiare. Cum tu igitur veram laudem nec in ſummo patriæ ſplendore, nec in maxima familiæ nobilitate poneres, ex te nobilitari potiſſimum voluiſti; atque iccirco cum videres iure ciuili non modo genere ſummo natos, ſed infima etiam conditione homines ad ampliſſimos honores perduci ſolere; in illud, Piſas profectus, omnem operam, omnem curam, omnem denique cogitationem contuliſti; non vt honorifico tantum nomine honeſtareris, ceteriſque hominibus in communi conſuetudine antecelleres, (quod nonnulli facere ſolent, qui dignitatis magis inſignibus, quàm dignitate ipſa ornari ſtudent, quò faciliùs vel pileo ſalutentur, vel ſibi aſſurgatur, vel de via decedatur, vel medium etiam locum ambulationibus teneant) ſed vt iuris ciuilis ſcientia (quod eſt ingenij, non copiarum) non minus tibi gloriæ, quàm reliquis hominibus adiumenti afferres. quam quidem rem exitus comprobauit. nam cum magnam tui expectationem in illo celeberrimo gymnaſio, ſuſtinendis quæſtionibus, concitaſſes, cumq; nihil eſſe videretur, quod ſuſcipere tua virtus, & conficere non poſſet; ad audiendas

das cauſſas, quæ Florentiæ apud Pontificis Nuncium agebantur, fuiſti delectus, delectus' etiam ita te præſtitiſti, vt, quam de tuæ ſcientiæ præſtantia ſpem omnes habebant, non ſolum adæquares, verum etiam facile ſuperares; quemadmodum ex eo perſpici potuit, quòd non tam es triennium in illo munere verſatus, quàm propter illius muneris commendationem Archiepiſcopi Vicarius declaratus. quod onus per nouem annos regere, ac ſuſtinere non potuiſſes, niſi in te ſumma eſſet iuris pontificij, ciuiliſq́; ſcientia, ſumma facilitas in admittendis, audiendiſq́; hominibus, ſumma in rebus cognoſcendis, & diſcernendis diligentia, ſumma denique in dijudicandis controuerſiis, ac dirimendis æquitas. Quid dicam de tua tanta humanitate, vt & aures tuæ omnium querelis pateant, et, cum gratiæ cauſſa nihil facias, omnia tamen, quæ facias, ſint quam gratiſſima. Iam vero quæ oratio tuæ abſtinentiæ par reperiri poteſt' quæ virtus cum in omnibus rebus ſit præclara, tum præcipue in rebus Diuinis præclariſſima eſt; ne; quæ à Deo gratis bona accepiſtis, pretio vendere arguamini. non enim poſſumus de illis bene exiſtimare; qui aut cooptandis in ſacrum ordinem hominibus, aut mandandis ſacerdotijs, aut ſententijs ferendis maiorem gratiæ, & pecuniæ, quàm religionis, ac veritatis ſoliti ſunt habere rationem. His rebus expectationi tuæ cumulatiſſime ſatisfeciſti; atque ita, vt ab Illuſtriſſimo Cardinali Mediceo, ſtudiorum, optimarumq́; artium patrono in ſuam honeſtiſſimam domum vocareris; vt cum Florentiæ virtutes tuas excolueris, Romæ, vnde omnium bonarum rerum exempla petuntur, te confirmares; ideſt multo melius ad omnium vndique laudem colligendam te excitares. Quare cum contigiſſet, vt Saracenus ex hac vita diſcederet,

idq; cum ciuium omnium dolore propter eius eximium in re-
ligione ſtudium, Deus Opt. Max. iniecit eam mentem Sere-
niſſimo Magno Duci, eiuſq; fratri Illuſtriſſimo Cardinali, ut Gregorio XIII. diligentiſſime te commendarent. qui ſummus Pontifex, cognitis, ac perſpectis tuis virtutibus, non magis obſequi illis clariſſimis viris, quàm Volaterrano populo eiuſmodi Epiſcopum dare voluit, qui, quòd iureconſultus, doctrina expolire; quòd apud Magnum Ducem gratioſus, beneficio iuuare; quòd grauis, auctoritate mouere; quòd ciuis, ciuium cupidiſſimus eſſe poſſet: atque non minus virtutes honoribus afficeret, quàm vitia facile cognoſceret, cognitaq; facillime pœnis coerceret. Ita non tam te iſto dignitatis gradu, quàm dignitatem tuis virtutibus ornauit. Qua quidem dignitate maxime lætari debes, non ſolum quòd per ſe ſit ampliſſima, ac reliquis longe præſtet, verum etiam quòd ab eo, quo nihil eſt in terris ſanctius, nihil auguſtius, eſt tibi tributa; ut ſi paruam, vilemq; rem fuiſſet largitus, pro magna, & pretioſa eſſet tibi profecto habenda, cum non rei pondus æſtimare, ſed hominis voluntatem ſpectare videreris. nunc ad ampliſſimum Pontificis Max. in te beneficium, accedit etiam rei magnitudo, quòd Eccleſia tua non in aliquo remoto, deſertoq; loco, ſed in florenti, & celebri Italiæ regione eſt poſita, quòd hæc vrbs vetuſtate eſt antiquiſſima, ſplendore hominum honeſtiſſima. cuius laudes, quia, & tibi minime ſunt neceſſariæ, & mea ipſe in gymnaſio oratione enarraui, ſilentio præterire decreui. Quid? quòd in hac vrbe editus fueris in lucem, puerq; educatus; vnice vt hanc diligere cogaris; atque hic ſummum tibi deferri honorem gaudere debeas. Cæſar, non tam quòd illis Euripidis peruulgatis, & impijs verſibus ita ſit gloriatus, vt in ore ſemper habe-

ret. quàm quòd patriæ vim attulerit, acerrime vituperatur: tu contra ſumma cum omnium voluntate, ſumma cùm tua laude in ciuium non modo corpora, ſed animos etiam dominaris. Quæ dignitatis inſignia in virtute tua, induſtriaq́; poſita adeo elucent, vt non onera, quemadmodum ante in multis cerni ſolebat, ſed veri honores videantur, ſicut iubent diuinæ leges, ac ſacroſanctum Tridentinum Concilium confirmauit. nam vt philoſophorum princeps ad optimam reip. adminiſtrationem cupiebat ſapientiam cum poteſtate coniungi: ſic modo in Chriſtiana Eccleſia non pueris, non indoctis hominibus, non aliqua ſceleris labe fœdatis, ſed viris, ſed iuriſperitis, ſed morum, ac vitæ probitate inſignibus mandantur Epiſcopatus. non ne in Romana aula, ſi Cineas forte, ab inferis exiſtens, illud ſummorum patrum collegium videret, tot regum, vt olim de ſenatu dixit, diceret eſſe conſeſſum? non ne ijs, qui à Romana Sede diſsident, quorum horribiles procellæ multis ab hinc annis Petri nauem oppugnare, quid dico oppugnare? immo vero deprimere concupiſcunt, vox interdicitur, nulluſq́; maledicti locus relinquitur hominibus maledicendi cupidiſsimis? Quod ſi magnam tu capere voluptatem debes, quòd Epiſcopus ſis, & Epiſcopus patriæ tuæ, hoc eſt, quòd tantam hic dignitatem, quantam poteras adipiſci, fueris adeptus: quid eſt tuis faciendum ciuibus, qui primum, hominem omni virtutum genere ornatum, deinde ciuem ſuum Volaterranæ Eccleſiæ præeſſe non ſolum perſpiciunt, verum etiam gaudent vehementer. poſſum omni aſſeueratione affirmare, cum primum nuncius hic iucundiſsimus eſſet perlatus, omnes ciues, ſummos, infimos, medios maxima elatos eſſe lætitia. cuius ſigna ſtatim Curia oſtendit, tum ſcribendis ad te, fratremq́; tuum litteris, tum Hieronymo

Lotti-

Lottinio, Ioanne Vidio, Ludouico Incontrio, Ioanne Baptiſta Tanio, nobiliſsimis, atq; honeſtiſsimis hominibus creandis, qui tuo aduentui decorando præeſſent, tum mittendo Florentiam legato, qui & tibi præſenti gratularetur, & tuam de tuo ingreſſu ſententiam eliceret, ad Senatumq; referret. Cum ipſe patriæ cupidus in viam te celeriter dediſſes, Florentia vſque Volaterras agmen perpetuum eorum, qui tibi congratulatum aduenerant, fuit; fuerunt multæ effuſiones hominum ex oppidis ſpectandi cauſſa; multi concurſus ex agris facti ſunt; tota pænè hæc vrbs ad te, vt ciuem, familiariter complectendum; vt Epiſcopum, ſumma pietate colendum progredi viſa eſt. Ad vrbem vero accedenti Antiſtes Diui Iuſti, vt omnibus in rebus religio, atque illius Diui ſanctitas, & erga hanc ciuitatem beneuolentia aſſidue ante oculos tuos obuerſaretur, ad Diui Quirici ſacellum obuius factus, penulam tibi detraxit, Gothorum vero familia in viæ anguſtijs galerum, calcaria, atque cothurnos. quæ res quamuis non magni ſint pretij, maximum tamen eſt ſignum, olim & eam familiam, & Antiſtitem Diui Iuſti uel de Epiſcopis, uel de hac ciuitate eſſe optime meritum. ſcriptum enim legimus, cum ſeptem Perſæ Perſarum Regnum ex Magorum tyrannide eripuiſſent, pro pulcherrimo facto illis, illorumq; poſteris datum eſſe ut anteriore capitis parte tiaram geſtarent. Poſtero autem die, qui dies omnibus clariſsimus, ac lætiſsimus illuxit, ad Diui Marci ædem, ubi pileum reliquiſti, uenienti ueniunt tibi obuiam non modo uniuerſi ſacerdotes, ſed cuncti etiam ciues, in his Senatores, magiſtratuſq;: qui omnes uſque ad hoc templum te magno cum plauſu, & cantu, magno cum tubarum ſono, magno cum tormentorum ſtrepitu celebrauerunt; cum honoris tui cauſſa non ma-

gis hominum multitudine uiæ, quàm feneſtræ lectiſſimarũ fæminarũ frequentia eſſent refertæ. Erat etiã magna caterua cum puerorum, qui Deum pro tua incolumitate orabant, tuæq́ dignitatis nomen gratiſſimis animis proſequebantur, tum etiam ingenuorum adoleſcentium, vmbellam, ſub qua cantherio aduehebaris, ferentium. qui tenendæ conſuetudinis cauſſa cum tibi illum extorſiſſent; ut ſuam poſtea munificentiam præſeferrent, ſtragulo eum ſerico ornatum reſtituerunt: tuq́ contra largiſſime pecuniam, qua in matrimonium duæ etiam virgines collocari poſſent, illis donaſti. O laude dignam conſuetudinem, ò præclariſſimum factum, ut inter uos liberalitate, muneribuſq́ certaretis. O lætitiam huius ciuitatis maximam, ſic inquam, ut nulla umquam ſit obliuione obruenda. tuus ad Vrbem acceſſus tanta omnium gratulatione floruit, nullus ut domi remanſerit, niſi aut morbo, aut ætate impeditus, qui primum illum diem non obierit, (cui Deus mirabiliter etiam fauit, quod niues, poſtea nebulæ, venti, imbres, frigora fuerint conſecuta) deinde ſacratiſſimo etiam paſchate, cum tu rem diuinam feciſti, huc non uenerit, quo tanta populi multitudo erat ingreſſa, ut uix ullo capi modo poſſet. gaudio medius fidius exſultare, ac ſuum ciuem, & agnoſcere, & colere uidebantur hi parietes, hæ columnæ. quibus cum carmina ſuæ erga te uoluntatis pignora affixiſſent adoleſcentuli in meam diſciplinam traditi; cumq́ Senatus, & huius fani maiores, minoreſq́ ſacerdotes pro uiribus tibi munus detuliſſent: malui orationis habendæ nimis cupidus uideri, quàm tuis uirtutibus, meoq́ erga hanc ciuitatem officio parum gratus haberi, qui plane confirmo rem pulchram & præclaram fuiſſe, ſed minime nouam, te iſto ſummo ornamento, quo tui ſimiles afficiuntur, eſſe affectum: eximiam

vero,

vero, ac pænè diuinam duco, te vidiſſe huius populi lætitiam, atq; alacritatem: vt, quanta in ipſo Pontificis beneficio eſſet magnitudo, tanta in ciuium ſtudijs animorum ſit voluntas declarata. Quæ res vnquam pro maxime Deus eſt acta iucundior, quæ glorioſior ab hac ciuitate? quæ genus id honoris, quod potuit, tibi tribuit, tuæ virtutis, ſuiq. erga te officij argumentum. vtinam maiora potuiſſet, quàndoquidem à te maxima accepit; qui in hanc vrbem Epiſcopatum, quo ipſa iam plus ducentos, ac viginti annos caruerat, tuarum virtutum ſplendore reuocaſti. quæ cum per te ſuum alumnum ad tantam amplitudinem peruenerit, putat in magna ſe gratia eſſe non magis apud Magnum Ducem, & Summum Pontificem, quàm apud Deum Opt. Maximum, cui omnia quidem certe ſunt adiudicanda. nos enim Chriſtiani non debemus imitari Corinthium Timoleonem, qui tyrannis ex Sicilia ſublatis, Fortunæ templum magnificentiſsimum ædificauit, ſed Pythonem Athenienſem; qui cum ciues ſui, quòd Cotyn Thraciæ regem interfeciſſet, maximos ipſi honores decernere vellent, eos repudiauit, affirmans Dijs habendam eſſe gratiam, quibus auctoribus, ac ducibus, ſua tantum manu, atque opera illa res præclariſsima erat geſta. Rari antea fuerunt, iſto ſacerdotio præditi, quos de facie nouiſſet hæc ciuitas; rariores, qui hic commorarentur; rariſsimi autem, ciues Volaterrani; tam & ſi tanta ingenij atq; induſtriæ laude Romana in aula ſemper floruerint, maximis vt honoribus perſungerentur. Audiui, cum a te ſacrum fieret, quendam ciuem: qui proximè me ſedebat, hac re mirum inmodum gaudere, ac gloriari, dicentem, illos, qui vitam cum morte commutaſſent, pulcherrimo caruiſſe ſpectaculo, quòd

te

te non vidiſſent in iſto ampliſsimo gradu collocatum: cuius verba in memoriam mihi redegerunt Demarati Corinthij dictum; qui, cum Alexandrum victo Dario totam Aſiam ſubegiſſe, ac Suſis vrbe regia regnare vidiſſet, præ gaudio illacrymans, dixit, ſummæ lætitiæ expertes fuiſſe Græcos illos, qui ante quam Alexandrum in Darij ſolio ſedentem aſpexiſſent, ſuum diem obierant. Quæ quidem res omnibus, in primiſque patri tuo iucundiſsima fuiſſet, ſi illum ad hæc tempora Deus reſeruaſſet: ſed quòd non licuit patri videre, licet patruo, homini doctiſsimo, qui cum ciuis Volaterranus nuper ſibi de tuo, tuiq́ fratris felici ſtatu gratularetur, exclamauit, ſe ſuorum omnium laborum fructum percepiſſe: & vere maximos pertulit labores: diligentia enim non minus, quàm natura erga vos fuit patruus, amore parens, diſciplina magiſter. neque hæc eo dico, eius vt gratiam meis laudibus aucuper, ſed quòd homines honeſtiſsimi mihi confirmarunt, ab illo veſtræ felicitatis iacta eſſe fundamenta. Atq́ hæc lætitia his ciuibus eo gratior, ac iucundior fuit, quominus hoc tempore expectabatur. an poſt Antinorij profectionem, poſt Saraceni mortem vllus ſperabat fieri poſſe, vt daretur Epiſcopus, qui ad illius eximium ingenium ſingularemq́ humanitatem, ad huius vero egregiam erga Deum pietatem poſſet accedere? nunc ipſe es datus, qui non ſolum illis æqualis, ſed ſuperior etiam ſis futurus, non tam quòd in hac vrbe ortus fueris, ac procreatus, quàm quòd ad illorum uirtutes vſum in regendis per plures annos populis adiunxeris; cum eorum alter in regum aulis magna negotia procurare, alter Romæ in iure ciuili verſari conſueuerit; vt hæc ciuitas, quòd illos amiſerit, vere poſsit dicere, quòd Temiſtocles, cum exul tres vrbes à Perſarum rege in ſumptum

accepiſſet, dixit, ſe, niſi perijſſet, periturum fuiſſe. Atq; cum ex tua dignitate optatiſſimam perceperit lætitiam hæc ciuitas, tum multo maiorem vtilitatem ex tuis virtutibus ſe percipere poſſe confidit, vehementerq; confidit, ſi eam ita reges, vt tuum poſtulat officium, boniſq; omnibus ipſe attuliſti expectationem. Ad quam rem te adhortabor, non quòd tuæ diffidam voluntati, ſed quia me incendit, atq; impellit primum patriæ charitas (in numero enim horum ciuium me pono, cum per quadriennium maximis hic ſum præmijs, maximis honoribus decoratus) deinde tua gloria, cui, quòd ex honeſtiſſima fæmina, mea municipe, ſis natus, maxime faueo. Qui alijs præſunt, toto pectore cogitare omnibus viribus eniti debent, vt populus, qui ſuæ fidei, poteſtatiq; eſt commiſſus, ſumma felicitate fruatur; fruetur autem, ſi ex eo, non tamquam ex pecudibus, fructum dumtaxat capiant gubernatores, ſed eius commodis, eius conſulant ſaluti. quod ſi vlla adminiſtratio beneuolentia, & humanitate, non rapinis, atq; auaritia eſt dirigenda; eſt Chriſtianorum magiſtratuum, & maxime Epiſcoporum; quibus non quæſtus, non voluptas, ſed virtus, ſed religio tantum eſt perpendenda; ſicuti tu & facere iure debes, & efficere optime potes. Pericles Athenienſis, dum ſibi veſtem indueret, eſt ſibi ſolitus hæc proponere; quos regeret, eſſe liberos, eſſe Græcos, eſſe ciues: ſi tibi ante oculos, atq; adeo animum verſabitur, quòd vrbem nobilem, ciuitatem Chriſtianam, tuam patriam gubernes; loci antiquitate, Chriſti præcepto, vi denique naturæ ad bene de ea merendum excitaberis. Si Perſarum rex habebat cubicularium, cui erat mandatum, vt mane ingreſſus ipſum ex ſomno excitaret, incitaretq; ad regni adminiſtrationem: tu multo vehementius commoueberis ad beneficia

in patriam conferenda, non tuo ſolum Epiſcopali officio, ſed etiam fide, quam ad Diui Marci, Paulo Bonamico decurionum præfecto dederas,te in patria, & pro patria emeri velle. an cuius cauſſa mortem obire paratus es, de eius ſalute non cogites? Si Florentiæ bene te geſsiſti, cùm ad alterius voluntatem conformaturus te eſſes; nunc quòd omnia ad arbitrium tuum referentur, optime hic, opinor,te adhibebis, in maiori præſertim gradu poſitus; ne à te deficias; ne apud te maius pecunia pondus, quàm officium habeat; ne alieni homines maiori tibi curæ, quàm tui ciues fuiſſe videantur. nam ſi nunc animis caderes, (quod nemo, cui tuæ ſuperiores actiones notæ ſunt, ſibi perſuadere poteſt) idem de te diceretur, quod conuenit in gubernatoris imprudentiam, qui Syrtes honorifice, locaq; ſcopuloſa præteruectus, ad portum poſtea delatus, nauem turpiter euertit. Si illa adminiſtratio iſtam tibi magnam dignitatem peperit; maiorem tibi iſta parabit Dei benignitate: cui ſi iſtum honorificum ac ſacrum ordinem acceptum referes (referes autem,ſi tui ſimilis, ideſt religioni deditus, eris) referes illi gratiam rectè gubernanda hac Eccleſia, à Pontifice tibi commendata, atq; a te ipſo ſuſcepta,cui te ducem vt vere Etruſcum nomen impoſitum tibi eſſe videatur, præbere debes, his præſertim temporum tenebris, & caligine: vt, cum familia tua ad paucos ſit redacta, tuarum virtutum memoria, rectéq; factorum gloria poſteritati propagetur: ſiquidem Epaminondas quoq; in hanc ſententiam amico ſuo, quòd vxorem non duxiſſet, filioſq; non ſuſcepiſſet, accuſanti, venuſtiſsime reſpondit, pro liberis ſibi futuram eſſe Leuctricam pugnam numquam interituram; qua ille clariſsimus vir Lacedemoniorum & aciem profligauerat, & opes euerterat. Atque vt cum optimis hominibus ſocietate coniun-

te cõiungaris, proponã tibi Diuos Romulũ, Iuſtum, Vgonẽ, huius ciuitatis Epiſcopos, fortiſsimos quidem olim in defendenda, atq; amplificanda religione, nunc vero ſanctiſsimos, cæleſteſq; ciues. horum pijs manibus hæc tua dignitas erit gratiſsima, maximeq; Vgonis ciuis Volaterrani: qui, quamuis ſua ipſius familia Saladina, & nobiliſsima quidem, cum ex Comitibus Angiarij eſſet, ſit extincta; gaudet tamen ciuibus ſuis priſtinam dignitatẽ per lõgo interuallo eſſe reſtitutam. Sed quoniam viuorũ potius cum memoratione quàm memoria mortuorum cõmouemur, dicam laude, laude autem? immo vero imitatione digniſsimũ eſſe Cardinalem Borromæum, qui non ſolũ, quòd Romam nuper ita venit, illaq; ibi monumẽta ſanctiſsimorum hominum ita viſit, ac veneratur, ut edita ſuperioribus menſibus epiſtola ſuum populũ admonuit, verum etiam, quòd in humana ſemper vita diuina coluit ſtudia, cui bono non eſt in deſiderio? non in ore? non in ſermone? quæ Mediolanenſibus aſsidue præſtat Borromæus, hæc à Vido Seruidio celeriter expectant Volaterrani. Ac ſi antea hæc tibi debita, & neceſſaria eſſe oſtendi, nunc facilia, ac propterea iucunda fore oſtendã multas ob cauſſas, primum quòd hic populus illis, quos penes eſt poteſtas, tam eſt obediens, quàm qui maxime; ſemperque ad nutum illorũ, non modo ad iuſſa conuertitur. deinde tu & iuris valde peritus es, & tantũ habes rerũ vſum, vt timendũ non ſit, ne à callidis hominibus verſutiſq; circumueniaris, nèue vlla res noua accidere poſsit, quæ fugiat in iſta adminiſtratione ſcientiam tuã, ſed omnes cauſſas, quæ deferentur, tibi exercitato ludus erit, non labor cognoſcere, ac iudicare; præſertim ſi apud nos continenter commoraberis, ſicut cũ alia multa, tum vero res iter facienti neceſſariæ à Diui Iuſti Antiſtite, atque à Gothis tibi detractæ hortari te, atq; inflammare viden-

C tur.

tur. animus etiam tuus ſemper ad benigne omnibus faciendum propenſus, nunc vero multo magis, qui quotidie prædicas, te, quibuſcumque poſsis velle ita gratificari, vt nemo ſit tibi offenſior. huiuſmodi igitur animus tantum tibi animi dabit, teq; tam firmum in iſto munere efficiet, omnes vt tibi labores, omnes difficultates, omnia impedimenta tuis viribus, tua induſtria, tuo deniq; conſilio leuiora eſſe videãtur. poſtremo, quod caput eſt, præclare hanc ciuitatem reges ea gratia, qua apud Sereniſsimũ Magnum Ducem tu, tuus frater, fratriſq; ſocer floretis. cui enim debet frater maiorem, quàm tibi fidem habere ſiquid aut de hac rep. aut de priuatis hominibus ad eũ ſcribes? quis fratre magis eſt in aula gratioſus? quis plura ſolet impetrare? nemo quidem; idq; accidit non ſolum loco, qui eſt talis, qualem eius fides, virtuſq; poſtulat, atque ita, vt maiorem requirere nec poſſet, nec auderet, ſed etiam Concini affinitate; qui vir, quidquid petit (quid enim niſi honeſtum, rectumque petit?) nullo negocio aſſequitur. Quare ſi multi ciues egregia erga patriam voluntate accedere ad te poterãt: quem tecum gratia conferre poſſemus, haberemus certe neminem: vt omnes in ſpem veniamus, aut te vnum, aut nullum aliũ patriæ tuæ mirificã opem eſſe laturum. honos enim ciuitati poſt ducenteſimum annum reſtitutus, tuus in urbem honorificus introitus, tua incredibilis erga patriã beneuolentia, tua ingenij magnitudo, tuum diuinum iuris atq; æquitatis ſtudium, tua ſingularis autoritas (hæc enim in quo poterant reperiri?) nõ aliquod vulgare, non vile, non exiguum, ſed ſummum, ſed illuſtre, ſed eximium, quod ſit beneficio gratum, famaq; glorioſum, nos abs te cogunt expectare; vt oſtendas non magis per te partum Epiſcopatum fuiſſe dignitatis ampliſsimæ nomen, quàm bene geſtum fore memoriam ſempiternam virtutis, ac ſapien-

tiæ

tiæ tuæ. Ita (vt ex familiæ tuæ etiam inſignibus, quid ſis factu rus, auguremur) tuæ Lunæ in tantis inſcitiæ tenebris clariſſima nobis lumina præferent. ita ex tuis Lilijs in tanto vitiorum fætore odor ſuauiſſimus, ac iucũdiſſimus afflabitur, ita dignus rep. filius, dignus Eccleſia ſponſus, dignus ſacerdotio pater eſſe duceris. Et quia magiſtratus ſine vlla mora, & confeſtim virum indicāt (vt enim non poſſumus videre, ſint ne vaſa vitioſa, niſi quid infundamus, vt appareat, qua perfluant; ſic hominum animi ſuam infirmitatem, atq; imbecillitatem patefaciunt publico in munere, ſi cupiditati, ſi iracundiæ, ſi ſuperbiæ, ſi auaritiæ ſeruiant) iccirco debes virtutis tuæ ſpecimen præbere quam celerrimè, atq; aliquod munus patriæ afferre quam gratiſſimũ. nam omnes, qui rerum geſtarum gloria floruerunt, initio ſemper vt ſuæ ſapientiæ, ac fortitudinis ſignum darent, res magnas, difficileſq; aggreſſi fuerunt, quorum exemplo hæc res facilius quam Alexandri atque Africani poteſt illuſtrari: hic enim vt bello clarus fieret, Carthaginem nouam, quæ omnibus rebus ita erat munita vt uix capi poſſe videretur, expugnandam ſibi eſſe putauit: ille autem, cum in Bucephalum equum, qui omnes antea excuſſerat, adſcendiſſet, ſuoq; arbitratu illum, & calcaribus concitare, & freno coercere cæpiſſet, ſumma omnes lætitia, & admiratione affecit, patremq; in primis Philippum, qui filium de equo deſcendentem oſculatus, Macedonia te, inquit, non capit: alterum regnum te fili dignum quærere oportet. Incumbe (tua vt voluntas cum facultate conſentiat) incumbe inquam Reuerendiſſime Epiſcope quamprimum toto pectore in res laborioſas, eaſdemq; honorificas; ſana vulnera patriæ impoſita, diſſolutam, & dilapſam morum licentiam reprime, reduc in viã homines ab honeſtis artibus, diſciplinisq; aberrantes; ſalutaris

doctri-

doctrinæ pabulo ale ignaros atq; imperitos,confirma omnes optimæ uitæ exemplo,comproba recte factis meum de te augurium, tuorumq; ciuium lætitiam, reſpōde tantæ hominum de te expectationi, oſtende te deniquè dignum beneficio Magni Ducis, beneficio Pontificis maximi, beneficio immortalis Dei, qui non tam in hac breui, quàm in illa ſempiterna vita honoribus magis amplis,magis honeſtis augere te poterit. Dixi.

Z
1146.34

33 362243

C.

1156. 3/4